NEPTVNVS

BRITANNICVS CORYDONIS.

De luctuoſo

Sereniſsimi HENRICI (æternæ memoriæ) magnæ Britanniæ Principis, &c. obitu.

Et felicibus

Sereniſsimi ſucceſſoris *CAROLI. F.* Ducis Eboracenſis, &c. auſpicijs:

Queis intermixtus

Sereniſsimi FRIDERICI, Rhenani Principis Electoris, *&c. & Sereniſſimæ* ELIZABETHÆ *magnæ* Britanniæ, &c. Infantis Hymenæus.



LONDON

Printed for *Iohn Budge*, and are to bee ſolde at Britanſ-burſſe. 1613.

1070 l.6
5

Generoſo Domino, Dauidi Moravio, Equiti aurato.

PRomiſi, fateor, gratum dum vita maneret
Me fore: nunc vitæ meta propinqua meæ eſt:
Inuida ſors quamuis ingratum viuere fecit,
Non ſinet ingratum me pia Muſa mori.
Accipe ſed miti languentia carmina vultu,
Grata voluntatis ſigna futura meæ.
Regia Majeſtas, vbi ſim, ſi fortè requirat?
Pro patriâ pugnans in patriâ morior.

Patricius Gordonius

Neptunus Britannicus.

CORYDON.

AVricomus roſeâ ſurgebat luce refulgens
Cynthius, & ſolito iam purior aura nitebat: Occaſio ſcriptionis.
Poſt varios caſus, per multa pericula, magnis
Defeſſus curis, longo languentia morbo
Mēbra trahens, dixi: nunc tandem blanda ſereni
Me vocat ad virides cæli indulgentia campos.
Vix ad vicinos, baculo ſubnixus, anhelans
Perueni colles, cæli, terræq́ꝫ, mariſq́ꝫ
Mutatas facies (cælo vis, gramina terris,
Ponto vndæ deerant,) admirans: Ecce repentè
Cæruleos ſicco verrens in littore crines,
Regina vndarum Tethys tùm fortè latentem
Rupe ſub aduerſâ compellat blanda maritum.
O Neptune, mihi multos ſocietate per annos, Tethyos querela.
Quò fugis? antiquos magni cur ſpernis honores
Imperij? quæ meta fugæ? quæ iuſta doloris
Cauſa repentini? nuper nil tale timebam,
Cùm tua pulchra meo penderent brachia collo.
An Phaetontææ metuens incendia flammæ,
Deſeris alterius proprium tibi ſorte tridentem
Arbitrio? noſtri ſaltem miſerere, profundis
Neu caput abſcondas imæ telluris in antris.
Te ſine, me piſces, fugient me turgida ventis
Vela, peregrinis nec erunt commercia curæ:
Inq́ꝫ chaos forſan ſoluet ſe dædala mundi
Machina: ne charæ pigeat te coniugis, oro.
Dixerat: at mærens Neptunus talia reddit.
Deſine, cur ſtolidâ immeritum me voce laceſſis Neptuni tacitus dolor.
Impia? nulla meæ capiunt me tædia ſortis,

Deſine, cauſa mei nimium mihi iuſta doloris.
Obſtupuit primùm trepidâ formidine coniux
Pallida, ſemianimem tùm ſic affata maritum eſt.
Tethyos inſtantia.
O nimiùm dilecte mihi, ſi iuſta doloris
Cauſa tibi, (atq́; equidem niſi me mea ſomnia fallunt
Iuſta nimis,) cur me moribundam deſeris, & te
Immeritum lentè luctu conſumis iniquo?
Cur pia coniugij conſultò fœdera rumpis?
Quid.è meæ duvitas fidei committere quicquid
Te moueat? mirum quòd me non conſulis vltrò.
Vna vtriq́; ſalus, commune vtriq́; periclum.
Fæmineo forſan poſſem lenire viriles
Conſilio curas, duroſquè leuare labores.
Tu nè cede malis, ſed contrà audentior ito.
Neptuni Vacillantis reſponſio: in quâ,
Ille graui mentis paulùm mærore remiſſo,
Squalida ſuſpirans pedetentim brachia tollit:
Tethyos imprimis blando ſermone, veterno
Excitus, inſtabiles conatur figere greſſus.
Sæpius infandum tentat memorare dolorem,
Sæpè retrofugiens mens non meminiſſe volebat.
Et tandem inuitus (nunc huc, modò vertitur illuc;)
Se circumſpiciens oculis lachrymantibus infit.
Omnia veliuoli iampridem litora ponti,
Tellúriſquè ſinus omnes, fluuialibus vndis
Inuectus: Reges omnes, Regumquè triumphos,
Seu quos Heſperius, ſeu quos ſol vidit Eous,
Regnorumq́; vices varias (nam ritè recordor,)
Et vidi, & memorem longa experientia fecit.
Magnæ Britanniæ commendatio, et
Verùm præ reliquis (liceat modò vera fateri,
Et fortaſſe neget nemo,) quæcunq́; capaci
Complexu facies mundi reuolubilis ambit
Imperijs, meritò primas tenet ALBION *olim*

Nomine, cui maius nunc Magna BRITANNIA *nomen.*
Inſula diuitijs reliquas ſupereminet omnes,
Quas Amphitrite fugitiuis atterit vndis:
Diuitijs, ſeu quas fæcundis fertilis aruis
Sufficit ipſa ſibi, ſeu quas diſcrimine magno,
Per mare terrificis exundans fluctibus, audax
Nauita longinquis aduexit claſsibus oris.
Inſano Æſonides nunc Colchida quæreret auſu:
Aurea lanigeræ pecudes ibi vellera portant,
Torrida hyperborei populi queis frigora pellunt,
Et queis indigenæ pulchro decorantur amictu.
Temperies illîc cæli mitiſsima, tellus
Frigore non horret, nec ſolis aduritur æſtu:
Herbiferos ſaltus, ſi dulcia paſcua luſtres,
Si niueos tauros ſinuoſis cornibus illic
Errantes, ceruoſq; leues, capreaſq; ſalaces,
Deliciaſq; alias; ferrent ſi fata, relicto
Oceano voueas ſiluis venarier illis,
Teq; oblita tui velles vocitare Dianam.
Sin validas durâ contextas illice puppes,
Addita littoribus ſi propugnacula ſpectes,
Hoſtica quid metuant, quin protinus arma laceſſant?
Turrigeras vrbes, ſi celſa palatia, luxu
Regifico ſtructas ædes, ſi cuncta videres
Commoda, (quæ longo numerarier ordine tempus
Non ſinit,) haud falſo Paradiſum dixeris orbis.
Magna equidem laus hæc & magna gloria gentis,
Attamen inprimis hoc ſola beatior vno
Omnibus in mundo, quamuis ſint plurima, regnis.
C AESAREO *cretus per plurima ſecula retrò* — Vera Regis laus.
Sanguine, ſceptriferâ diuino munere dextrâ,
Præſidet huic genti REX *inuictiſsimus armis,*

 Pace

Pace etiam florens. cuius ſi dicere veras
Aggrediar laudes, oneri ſuccumbere tanto
Cogerer, & ſacri vix poſſent ferre poetæ.
Rex Regum ornauit cunctis virtutibus vnum:
Ille Deo meritas ſitiens perſoluere grates,
Diuinosquoſcúnque poteſt reſtaurat honores,
Sancta ſacerdotes venerandi templa tuentur.
Ille ſuo exemplo populis pietate præiuit,
Et pia vicinos accendunt ſcripta Monarchas,
Vt veræ fidei DEFENSOR *iure vocetur.*
Iura dat ex æquo, ſummo clementia iuri
Mixta regit trutinam: ſic iuſto examine nouit
PARCERE SVBIECTIS ET DEBELLARE SVPERBOS.
Quid referam reliquas famâ nunc vndique notas?
Regia munificæ quis neſcit munera dextræ?
Sic cunctis nota eſt prudentia gentibus, vt ſi
Ordine fatorum verſo rediuiua rediret
Ad ſuperos ſapiens Regina Sabæa, relictis
Iam Solymis, toto diuiſos orbe Britannos
Quæreret, Albino SALOMONI *vt Regia donet*
Munera, odorifero ſtillantia ſtipite, ſupplex:
Et ſupra vulgi famam admirata ſtupendas
Virtutes tanti ſe diceret eſſe beatam
Alloquio Regis: qui poſt tot ſcela feroces
Scotorum Anglorumq; animos (Mauortia longo
Tempore continuis aſſueti pectora bellis,
Aut odij veteris ſtimulis, iræue recentis
Accenſi furijs, ſibi mutua damna dederunt:
Inq; vices ſe vtriſq; æquam Bellona gerebat.
Nec medijs, quamuis tentatis ſæpius, vllis,
Siue per æquales hymenæos, ſiue per æquas
Pacis (amicitiæ firmiſsima vincula) leges,

Indomiti firmo potuerunt fœdere iungi.
Non hos Romanæ legiones, ſæpè minantes
Vtriſq; exitium, cogunt deſiſtere ab armis:
Sacrorum ritus, linguæ communio, morum
Vnio, nec quicquam vicinia profuit illis.
Sic erat in fatis, donec melioribus vltrò
Auſpicijs dextris gauderent iungere dextras.)
Fecerit vnanimes, nullo nec ſanguine fuſo.
Hoſticus armorum nullus ſonituſuè tubarum
Auditus, belliuè metus, rumoruè tumultus.
Sed noua ſollicitas hilararunt gaudia mentes.
Regia nam pietas, clementia Regia, nec non
Regia Maieſtas (Virtutum ponè ſequenti,
Muſarumq; choro lætos celebrante triumphos)
Edocta & belli iamiudum pacis & artes,
Diſcordes animos concordi fœdere iunxit:
Fœdere, quod nullum franget vel flexerit æuum.
Tantæ molis erat Magnos ſociare Britannos.
His dictis lachrymas rurſus cohibere nequibat.
Admirata diu coniux Neptunia, tandem Tethyos expoſtulatio.
Indignata virum verbis compellat amaris.
Improbe, quæ vanam deludunt ſomnia mentem?
Iam tu triſte nihil, nil tu lugubre canebas.
Quin potius ſtupidos recreent hæc gaudia ſenſus,
Gaudia iam pridem totum celebrata per orbem.
Sin aliquid monſtri latet altâ mente repoſtum,
Eloquere, & falſâ ne me formidine ludas.
Quando aliter fieri non vis, reſpondit anhelus Neptuni coacta narratio.
Neptunus, dicam coniux tibi cætera, noſtros
Quæ minimùm minuent, poſſunt augere dolores.
Qui modo quadrifidum latè irradiauerat orbem,
Regnorum & Regis ſplendor (miſerabile viſu)

Si non in tenebras in triſtia nubila verſus,
Obſcuras totum nebulas induxit in orbem.

Henrici Principis mors.

Regia progenies, regnorum proximus hæres,
Deliciæ magni genitoris, gloria matris,
Miraclum Europæ, magni ſpes maxima mundi,
Omnibus imperijs dignus terræq; mariſq;,
Omnibus illecebris terræq; mariſq; relictis,
Ad ſuperos (vbi cæleſtis de fonte perenni
Vita fluit) fato nimium properante receſsit,
Purpureo Henricus Princeps *in flore iuuentæ.*
Proh dolor! insani qvam momentanea mvndi
Gloria. in hvmanis nvlla est fidvcia rebvs.

Aulæ ſqualor.

Si miſeram mæſtæ faciem ſpectaueris aulæ,
Quis gemitus, lachrymas, luctus, ſuſpiria fando
Explicet, aut poſsit verbis æquare dolorem?
Regia ſublimes nuper decorata columnas
Aſſyrijs latè radiante tapetibus auro,
Et pulchrè intextis candente colore pyropis,
Nunc iacet in tenebris lugubri ſquallida panno.
Quos modo purpureus, pullus nunc veſtit amictus.
Nunc gemitu turres, reſonant nunc atria planctu,
Nunc plateæ triſtes, & triſtia compita fletu,
Vlla nec apparent lætæ ſpectacula pompæ.
Ludicra iam nullus meditatur prælia, (Martis
Seria queîs poſsint addiſci bella) nec vllus
Nunc validis torquet vibrans haſtile lacertis
Suſpendituè humeris, lateriuè accommodat enſem,
Victricem vt palmam populo acclamante reportet.
Nec ſonipes ſpumans nunc calcibus aera pulſat,
Arrectiſuè iubis quatit alto vertice plumas.
Nec generoſo equiti nunc curæ eſt pendulus orbis,
Nec ſtudet Eoas incluſas orbibus aureis

Lu-

Lucrari gemmas, Nymphæ aut ſpectanctis amorem.
Nemo ſagittiferi nunc curat Apollinis artes.
Parthica quis neruis aptet nunc ſpicula? nullus
Flectere molitur vel frangere viribus arcum.
Dulcibus haud preſunt iam muta ſilentia Muſis,
Ni fortaſſè iterent lugubria carmina triſtes.
SIC MARS, SIC MVSAE DEFVNCTO PRINCIPE PLORANT.
Rex inſperato miſerandæ vulnere ſortis
Saucius, & patrij vires dimenſus amoris, Luctus Regis, &
Nunc primogeniti præcocia funera deflet
Principis, & querulo vult indulgere dolori:
Sic crebrò remeans gemitus præcordia pulſat
Vt vix ſufficiat vitalis ſpiritus auræ.
Nunc ad ſe rediens, mollito lumine dulcem
Filiolum, ſeræ ſpem præſidiumq́; ſenectæ,
Vt vidit largo lachrymarum flumine flentem Filij.
Exanimum fratrem, (fratrem qui charior illi
Quàm fuit ipſe ſibi,) blandis amplectitur vlnis,
Et ſe venturæ ſolatur imagine ſortis.
Nec Regina, graues exſucco corde dolores Reginæ, &
Vſq́; premens, chari morientia lumina nati
Claudere, nec triſtis mœrentia lumina Phœbi
Cernere ſuſtinuit: quin ſeſe protinus atris
Parietibus madidi lachrymis gemebunda cubilis
Abdidit, indulgens miſeris de more querelis.
Quoq́; dolor creſcat, miti pulcherrima vultu Filiæ.
Filia, diuinæ ſed mentis acumine longè
Pulchrior, exſtincti languens in funere fratris,
(Hei! quoties nollet fratri ſupereſſe ſororem.)
Pallida labenti ſubſidit poplite ſenſim,
Molliaq́; amittunt genuinum membra vigorem.
Iamq́; recollectis paulatim viribus, eheu,

Ingeminans gemitus mæſtoſq́; attollere vultus
Impatiens, niueis contundit eburnea pugnis
Pectora, nec teneris lachrymando parcit ocellis.
Illuſtres ſileo matronas ponè ſequentes,
Virgineiq́ue chori generoſâ è ſtirpe puellas,
Procerum. *Fæmineis fugiens implere vlulatibus auras.*
Magnanimi intereà proceres, ſanctuſq́; Senatus,
(Quali bellatrix nec Roma ſuperbijt olim,
Nec decus Italiæ quo ſe nunc Adria iactat.)
Vt mærore graues, ſic ſollicitudine curæ
Ambigui, doleantnè priùs lachrymabile fatum
Principis; an leni recreent ſolamine Regem,
Luctificas tacito celantes pectore curas,
Regē adeunt, Regemq́; rogant (quia flebile quamuis
Sit fatum, nullo tamen eſt reparabile fletu.)
Vt poſito paulùm luctu regniſq́; ſibiq́;
Conſulat, vt nullum capiat reſpublica damnum.
Miniſtrorū, & *Quid referā egregios vitæ integritate miniſtros*
(Nam vitijs morum, ſcelerum vel labe notatos
Ille pius Princeps purâ non paſſus in aulâ eſt.
Omnibus exēplum qui verſant ſceptra ſequendū.)
Mærore afflictos, curiſq́; ſequacibus ægros?
Quorum continui luctus ſolatia ſpernunt
Omnia. Nam mordax ægreſcit cura medendo.
Omnium ordinum. *Quis numeret reliquos? non poſſunt ordine dici.*
Illuſtres equites, & quos generoſa propago
Stemmate maiorum decorat, vel propria virtus:
Et quoſcunq́; fouet prænobilis inſula ciues,
Cuiuſcunq́; ſtatus, nullo diſcrimine ſexus,
Longæuiq́; ſenes extremo in limine vitæ,
Matronæq́; graues, pueri innuptæq́; puellæ,
Principis HENRICI *lachrymoſo in funere plorant.*

Si tibi ſupremos tumuli licuiſſet honores Exequiæ.
Cernere, ſolenni cùm pompâ corpus humandum,
Inter ſacra Ducum & Regum monumenta priorum,
Quadriiugis veheretur equis: atq́ ordine longo
Pullati anteirent; ſequerentur & ordine longo
Eximijs CAROLVS *vincens virtutibus annos,*
Nunc patris & patriæ rebus ſolamen in arctis,
Romani Imperij comitatus Principe primo,
(Eccleſiæ ſacri ſi ſeponantur honores.)
A quo Cæſareæ pendent inſignia ſedis.
Poſt hos inſignis ſanctâ grauitate Senatus,
Et magni Proceres, Comites, mixtiq́ Barones,
Auratiq́ equites, clariſquè parentibus orti,
Squalida lugubribus velati corpora pannis,
(Vt taceam triſtes ſparſos per compita cœtus,
Quoſquè domo clauſit nimij vehementia luctus)
Ex oculis plures vidiſſes currere guttas,
Quâm graciles Forthæ percurrunt littus arenæ.
Nec tantùm indigenas mœſtos proprioſq́ penates Extraneorum lachrymæ.
Perculit iſte dolor; toto quin orbe remoti,
Queîs Mars, queîs Muſæ, queîs facta illuſtria cordi,
Defuncto HENRICO, *defuncto Principe plorant:*
Principe, præcipuo quem ſecla priora tulerunt,
Si patrem excipias miraclum totius orbis:
Nec quo maiorem venientia ſecla videbunt,
Ni frater patris ſucceſſerit æmulus illi.
Iuſta mihi, coniux, annon hæc cauſa doloris?
His dictis recidit curis confectus in antro
Mentis inops ſenſuſq́ expers. Mæſtiſſima Tethys Tethyos lamenta.
Tanquam oblita viri, tam lamentabile tanti
Principis inprimis lethum deplorat acerbis
Fletibus, atq́ alto ſuſpiria pectore ducens,

Quò me, inquit, vertam? CONSTANS SENTENTIA FATI EST,
Nunquam aure accepit nec reddidit ore querelas.
Quid lachrymer fruſtra? Mors illachrymabilis, eheu,
Nec vi, nec precio, precibus nec flectitur vllis.
Tum ſic ſemianimem blandè ſolata maritum eſt:
Tam triſti caſu, fateor, tibi iure dolendum,
Caſu, quo poßint adamantina pectora frangi.
Non tamen officij immemorem propriæq; ſalutis
Te decet eſſe. Modus luctuſq; metuſq; tenendus.
Par dolor hic cunctis, communis & cauſa doloris.
Surge, age, nunc tempus noſtræ eſt miſereſcere ſortis.

Particularis cauſa doloris Neptuni.

Ille gemens primùm molitur debile corpus
Erigere: vt fari potuit, ſic protinus infit.
Quamuis iſte dolor par omnibus eſſe videtur,
Nos propius pungit noſtri diſcrimen honoris,
Quod meritò cogit pallentes creſcere curas.
Ille decus noſtrum, noſtræq; ſalutis in illo
Vnica ſpes fuerat, ſi dura pericla ſequentur,
Vt nimiùm metuo. queiſcunq; in caſibus illi
Perſuaſum fuerat tutarier æquora. Nunquam
Talis viſa fuit, qualem fabricare priori
Fecerat ille anno, Thameſino in flumine nauis.
Huic ſimiles plures, vitam modò fata dediſſent,
Iampridem meditatus erat ſuperaddere, donec
In mare veliuolum tandem numeroſa veniret
Qualis adhuc nunquã Thameſino è flumine claſsis.
Quam tumidus meritò fors formidaſſet Iberus,
Qui ſibi iam ſoli non ſolùm iure Moluccas
Atq; Philippinas opulentas vendicat oras:
Quinetiam Oceani falsò ſe iactat alumnum,
Vt mihi ſubripiat conceſſum ſorte tridentem.
Hâc ego ſpe fretus, viſus ſum iure beatus,

Quâ nunc deiectus quis me infelicior vſquam?
Cernis vt abiectis miſerandus nauita remis,
Depoſitis pelagi curis, ſqualentibus artus
Indutus ſaccis, ſpatioſo in littore ploret
Principis interitum, cui viuo nautica cordi
Cura fuit: nautis nunc res, ſpes, gloria nulla eſt.
Et noſtri in dubium veniet nunc nomen honoris.
Reſpice nunc vaſtas attento lumine terras
Vndiq; ſeu celſos montes valleſuè profundas,
Imò introſpicias ima penetralia terræ,
Omnia conſiliis noſtris aduerſa videbis.
Aeriæ nitido ſiluæ modò rore madentes,
Ecce iacent humiles diſiectis vndiq; ramis:
Alitibus nidi non ſunt, loca ſola querelis
Implent, nec triſtem tranant nunc aera pennis.
Oſtentantq; feri nunc nuda cacumina montes.
Aptaq; materies ratibus nunc deficit ilex:
Nec poſt eſt abies caſus viſura marinos.
En duri colles cohibent in fontibus amnes.
Flumina ſicca vides, magnis nec claſſibus vndas
Sufficiunt: nullus poſthâc erit æquoris vſus.
DEFVNCTO HENRICO NATVRAE INVERTITVR ORDO.
En Thameſis (toto quo nullus amænior vnquam Luctus Thameſis, &
Orbe fuit fluuius, nec quo mihi charior vllus.)
Qui modò cæruleus noſtris ſe miſcuit vndis,
Et placidis leni occurrentem murmure Rhenum
(Hos diuturna pio vicinia fœdere iunxit.)
Excipiebat aquis; ſiccato protinus alueo
Pallidus, & mæſtis properans diſcedere ripis,
In proprios refugit mutato flumine fontes.
Obſcurumq; cauis (viſu mirabile) triſtis
Feſtinat terræ caput occultare cauernis.

Fluviorum condolentium.

Propria iam niuei modulantur funera cygni.
Nec tantùm Thameſis ſæui crudelia fati
Vulnera perſenſit, quamuis propiora; ſed vnà
Omnia quæ latos fæcundant flumina campos
Condoluere ſimul, ſeq; in ſua viſcera condunt:
Præq; dolore maris cogunt decreſcere fluctus.
Nobilis infando cedens Sabrina dolori,
Et luctu lentus diuerſâ parte Iarus,
Ad ſacros fontes, Trentâ comitante, recurrunt.
Surgentem triſtis Phæbum non ſuſtinet Vmber
Cernere, nec ſero iam veſpere Deua cadentem.
Mæſtaq; ſiccatos nunc luget Wallia riuos.
En Tueda cum ſocijs Cheuiotæ faucibus hæret,
Notaq; Romanis nunc ſe Bodotria neſcit,
Exhauſtaſq; Taij deplorat Grampius vndas.
Vicinis felix fluuijs ABREDONIA *quondam*
Nunc flens incaſſum Donamq; Deamq; requirit.
Fida Bogi vallis lachrymarum fonte rigatur.
Quotq; Caledonijs exibant ſaltibus, & quot
In mare decliui voluebat Hibernia curſu,
Abſorpti longis ſingultibus euaneſcunt.
Atq; adeò totum quo Magna Britannia cincta eſt
Indoluit littus, nullo quia tunditur æſtu.
Tentonicos verſo iam lumine reſpice fines:
Qui modò multiplici decurrerat agmine Rhenus,
Obuius vt Thameſi ſalſas perrumperet vndas.
Senſit vt abſentem retrahens veſtigia luctu,
Vitigenos ſubijt querulo cum murmure colles.
Belgica vicino volitans modò littore claſſis,
Iam poſitis alis iacet vdo ſqualida cœno.
Quid memorem Moſam, Mænum, refugúmue Veſurgim?
Quid Varnum aut Viadrum fluuios nunc nomine tantum?

Occiduis renuit ſe infundere fluctibus Albis.
Arbona Danubio fontem repetente tumeſcit.
Iſtula fraternos latitans deplorat amores.
Bregla Boruſsiacas non amplius irrigat oras.
Slucius in tenues vaneſcit protinus auras.
Nec mare vicinum torrente Boryſthene creſcit:
Exſuccum Tanaim ſtupefactus Tartarus horret.
Terrificat rigidos ſiccatus Volga Rutenos.
Nudatas Meleri miratur Suecus arenas.
Anguſtum Daniæ lachrymantis maruit æquor.
Quinetiam (vt retrò curſum vertamus ad auſtrum)
Romuleus Tiberis Thameſi malefidus amicus
Ingemit, occultum nutriens ſub pectore luctum.
Et dubitat quò ſe nunc vertat vitreus Arnus.
Regius Eridanus tremulo ſuſpiria ducens
Corde retrocedit lentis ſed paſsibus vltrò,
Et tandem albentes citò ſubter labitur Alpes;
Vt Rapido Rhodano, tardo comitante Lemanno,
Obuius euentum tutis ſpeculetur in antris.
Sequana cum Ligeri repetunt ſine murmure fontes.
Truxq; Garumna latens Pyrenææ matris in aluo
Exſpectat flauaſq; Tagi retrahentis arenas
Conſilium, & pulchri Duriæ redeuntis ad ortum.
Nulla etiam dirimit nunc Herculis vnda columnas.
Threiciuſq; ferè (quis credat?) Boſphorus aret.
Palmifer Euphrates, rapido cum Tygride Ganges,
Indus, & Eois veniunt quot montibus amnes
Deficiunt. Viden' vt ſeptemflui flumina Nili
Ignoto properent ſe mergere fontis in ortu.
Atq; adeò nuper mundi ſub vtroque fluentes
Axe ſacri fluuij proprijs in fontibus hærent.
Sic Thameſis toto ſparſi ſunt orbe dolores,

Nec

Nec potis eſt Thameſin totus ſolarier orbis.
DEFVNCTO HENRICO DESVNT SOLATIA MVNDO.

Subita vndarum mutatio, vndè

Vix ea fatus erat languentibus artubus æger,
Defeſſus vitæ; ſubito cum murmure pontus
Horriſonus tumidos tollens ad ſidera fluctus,
Muſcoſos ſcopulos & littora ſurda flagellans,
Inſolitis Tethyn tremulam conterruit vndis.

Tethyos novus metus.

Illa nouo ſtupefacta metu, perterrita curis
Non exſpectatis, quæ ſit mutatio & vndè
Admirans, ſparſis per cærula colla capillis,
Proh dolor! exclamat: Nuper tremebunda verebar
Arida nè tellus vel vis ſitientis arenæ
Imbiberet fluctus omnes, pelagiq́ue profundi
Exhauriret aquas, me ſolis adureret ardor.
Nunc noua me rerum facies nec opinaq́ue turbat,
Exercetq́ue nouâ feſſam formidine mentem.
Imbriferas Auſtrum video glomerare procellas,
Terrificæ ſurgunt ſinuoſis flexibus vndæ:
Ah! nimiùm metuo nè ſe ſuper æthera tollant,
Diluuioq́ue nouo faciem telluris inundent.
Omnia ſi terræ patientur regna ruinam,
Imperium pelagi fruſtrà Neptunus habebit.

Neptunus mutatus Tethyn conſolatur.

Intereà, veluti poſt longæ inſomnia noctis,
Ille experrectus (multùm mutatus ab illo
Qui fuit antè, nouo poſitâ formidine vultu
Compoſitus, viſuſq́ue omnes ſuperaſſe dolores,
Lætitiâ exſultans propiuſq́ue accedere gaudens,)
Vxorem vt varijs vidit palleſcere curis,
Secum animo voluens ſupra ſpem gaudia; Coniux
Ne timeas, inquit, lentis abſiſte querelis:
Speremus meliora, dabit Deus his citò finem.
Nam me cùm nuper, mærore, metuq́ue, ſituq́ue

Squalidus in tenebris cæcâ ſub rupe iacerem,
Fatidicus tacitè vellens mihi Cynthius aurem,
Venturæ ex voto promittens otia pacis.
Hoc ſæpè optato tandem ſermone levavit.
Ne fruſtrà metuat maria exundantia Tethys: Phœbi oratio in qnâ,
Nam ſibi præſcriptas nequeunt tranſcendere metas.
Nec tibi conveniet cæleſte laceſſere luctu
Numen, ait: IOVAE *nutu nam cuncta reguntur.*
Flumina iamdudùm cæcis incluſa cauernis, Cauſa inundationis.
(Flamma velut clauſis fornacibus acriùs intus
Aeſtuat,) internis nimiùm feruentibus undis,
Viſceribus terræ concuſſis agmine magno
Erupêre ſimul, largis & fletibus aucta
(Nam quicunq́ habitant terras ubicunq́ remotas
Principis HENRICI *iam funera deplorantes*
Exonerant ſalſos in dulcia flumina fletus.)
Oceani auxerunt numeroſis fluctibus undas. Vaticinium de reditu ad priorem ſtatum.
Illa tamen ſolitas interlabentia ripas,
Atq́ brevi totum ſedato murmure pontum
Pacatum, monteſq́ feros campoſq́ feraces
Suaviter in veterem faciem ſe vertere cernes.
Triſtis hyems, fateor, veſanis fœta procellis
Sæuijt, & lachrymas luctumq́ effudit in orbem:
Et lachrymæ noſtros irrorauere capillos.
Pro lachrymis riſus, pro luctu læta redibunt
Gaudia vere nouo, tot duratura per annos,
Noſtra quot obuelant intonſi tempora crines.
Mutauit properè terras HENRICVS *olympo,* *Henrici* Principis epitaphium.
Tenuia purpureæ rupit mors fila iuventæ;
Attamen in terris HENRICI *gloria viuet*
Semper, & arguto reſonabunt carmine Muſæ:
Dùm flores terras, dùm pingent ſidera cælos,

Dùm pelagus fluctus, dùm ſpargent brachia ſiluæ,
Dùm Muſæ Phœbo, dùm Muſis ſerviet Orpheus,
Immortale tui durabit nomen honoris.
Ille quidem Princeps magnâ fuit indole, magnæ
Spei ſpecimen dederat mirâ Virtute, ſed ultrà
Paſſa Dei non eſt imperſcrutanda voluntas.
Nec ſperata tamen ſpes eſt præciſa Britannis,
Quin meritò magnos longævà in ſecla, IEHOVÆ
Auſpicijs ſperent IACOBI *è ſtirpe Monarchas.*
Regi filiolus ſupereſt chariſsimus, hæres
Fraternæ laudis, pulcherrima patris imago,
Iam tenerâ CAROLVS *florens ætate, futurus*
Spe maior, factis ſpatioſi maximus orbis.
Deliciæ humani generis: quo Principe rurſus
Aurea promittant hilares ſibi ſecla Britanni.
Hinc nova lætitiæ iam denuò ſurget origo,
Et latè immenſum ſeſe diffundet in orbem.
Regi etiam ſupereſt pulchræ pia filia matris,
Regalis fragrans ELIZABETHA *decoris*
Flos, formæ ſpeculum: FRIDERICI *optata potentis*
Sponſa Electoris magnos paritura nepotes:
Auxilijs quorum CAROLVS CAROLI *q́ꝫ propago,*
Cæſareos longâ ſerie tueatur honores.
Proſpera blandus Hymē promittit ſecla Britannis,
Hinc nova lætitiæ iam denuò ſurget origo,
Et latè immenſum ſeſe diffundet in orbem.
Marmoreas iterum ſarrana aulæa columnas
Ornabunt, priſco ſplendebit regia cultu,
Lætaq́ꝫ cum plauſu populus ſpectacla videbit,
Nec ſolitæ deerunt Martis, nec Apollinis artes.
Rex ante & ſupra votum ſolatia cernet.
Aſſyrio inſignis cultu Regina nitebit.

Tranſitio ad *Caroli* ſucceſſoris auſpicia, & *Elizabethæ* hymenæos.

Luctus præcedens in gaudium verſus:

Filius

Filius æquabit factis præconia fratris.
Augebit generi felix Hymenæus amorem.
Filia formoſam cinget diademate frontem.
Magnanimi proceres, magniſq́ parentibus orti,
Nec non HENRICI, *felices fratre, miniſtri;*
Et quoſcunq́ fouet prænobilis inſula ciues,
Auſpicijs CAROLI *gaudebunt Principis omnes;*
Omniaq́ optatis Hymenæis fauſta vouebunt.
Hâc ſpe iam pelagi deſæuijt impetus, hâc ſpe
En Thameſis placidè (præterlabendo recentem
Cum gemitu tumulum,) refluis involvitur vndis
Oceani, properans redeunti occurrere Rheno:
Mutua quò rurſus poſt triſtem gaudia luctum
Exercere queant, & dulcia pocla propinent.
Hac ſpe cum Trentâ redeunt Sabrina, Iairus,
Mutatoq́ habitu fidum teſtantur amorem.
Nunc Phœbi radios Vmber, nunc Deva tueri
Suſtinet, & riguis lætatur Wallia riuis.
Iam Tueda, Fortha, Taiis, Dea, Dona, Bogusq́ recurrunt
Ad virides læto recreati flumine ripas,
Maximaq́ ingentis capiunt ſolatia luctus.
Auſpicijs CAROLI *gratantur Principis omnes,*
Omniaq́ optatis Hymeneis fauſta precantur.
Teutonicos verſo iam lumine reſpice fines:
Qui modò vitigenos ſubijt cum murmure colles,
Nunc nitidus Rhenus decurrens omine læto,
Agmine multiplici ſalſas interſecat undas,
Formoſos nivei Thameſis viſurus olores.
Belgica nectareo claſsis contermina Rheno
Expanſis alis ſinuoſum peruolat æquor.
Quid repetam Moſam, Mænum, refluumvè Veſurgim?
Quid Varnum aut Viadram proprio nunc flumine lætos?

Albis ad occaſum, properat nunc Iſther adortum.
Iſtula vicino gaudet concurrere Breglæ.
Iam creſcit Slucio, creſcitq; Boryſthene Pontus.
Volgaq; cum Tanaï pigram Mæotida pellunt.
Et dulcis Melerus ſalſis nunc ludit in undis.
Anguſtumq; patet Daniæ nunc claſsibus æquor:
Fruſtrà etiam repetam Tiberimuè, Arnumuè, Padumuè,
Aut Rhodanum, Sequanam, Ligerimuè, trucemuè Garumnã,
Flaventiſuè Tagi, Duriæ vel flumina pulchri:
Vt nuper lachrymas, ſic nunc ſua gaudia fundunt.
Herculeas dirimit ſubſultans vnda columnas.
Boſphorus arma ſuis Othomannica mergeret vndis,
Si Conſtantini CAROLVS *pugnacibus armis*
(Auxilijs fretus FRIDERICI*) ſceptra repoſcat.*
Quid iuvat Euphratem, Tygridem, Gangemuè, vel Indum,
Vel Pharium Nilum, vel vtroque ſub axe fluentes
Enumerem lætos lymphis redeuntibus amnes?
Auſpicijs CAROLI *nunc gaudent Principis omnes,*
Lætitiaq; ſacris Hymenæis flumina fundunt.
Cernis ut aſſumptis exſultans navita remis
Geſtiat, excelſam gaudens deducere navem
In mare, vt inflatis volitent inſignia velis.
Nunquam maior erat quàm nunc erit æquoris vſus.
Debita magnanimis conſtabit gloria nautis.
Teq; oblectabit fluitantes cernere puppes,
Cùm ſimiles cygnis fluctu fugiente natabunt,
Cærulaq; æratis ſulcabunt æquora roſtris.
Tu CAROLI *auſpicijs gaudebis Principis ultrò,*
Et placidos SPONSIS *ſternes in tempore fluctus.*
Nec tantùm Oceanum & fluvios ſpes certa futuræ
Lætitiæ exhilarat: Vaſtas circumſpice terras,
Ecce tibi ex voto ſuccedere cuncta videbis.

Aëriæ ſilvæ frondentibus vndiq; ramis
Alitibus dulci mulcentibus aëra cantu
Sufficiunt nidos, & magnis claſſibus aptam
Materiem. Virides effundunt dulcia colles
Flumina per riguas leni cum murmure valles.
Atq; adeò omnia quæ tellus aut educat æquor
Lætitiâ exſultant. Audi nunc omine fauſto
Per mare, per fluuios, per ſiluas dulcè canentes
Nereïdes, Naïcas Nymphas, virideſq; Napæas.

Nympharum Ode.

Quàm procul eoo radiantis ſolis ab ortu
Heſperus occiduus conſtanti tramite diſtat;
Tàm procul extendat CAROLI *ſe gloria terris,*
Nec minùs extendat CAROLI *ſe gloria ponto.*
Cùm felix genitor, noſtri Rex optimus æui,
Optatos vitæ ſerò tranſegerit annos:
Et generoſa ſoror numeroſâ prole beârit
Romani Imperij columenq; decuſq; maritum:
Tùm pulcher CAROLVS *verâ virtute triumphans*
Non tantùm Magnis, invictis Marte, Britannis
Imperet, inſignis ſolio ſceptriſq; paternis:
Quin CAROLO *Magno par ſtemmate, nomine maior,*
Maximus imperium totius temperet orbis.
Hæc Neptune ſuo rata tempore vota videbis:
Tuq; adeò imperium pelagi ſæuumq; tridentem
Concedes CAROLO *(nec me ſpes decipit) vltrò:*
Contentus tacitè CAROLI *vixiſſe ſub alis,*
(Vanos pone metus) à ſæuis tutus Iberis.

Neptuni gaudium, et/

Cynthius his dictis ſiluit: Neptunus ab omni
Ingeminans ſeſe nunc tandem parte beatum
Annuit, & lachrymans optatæ flumina fudit
Lætitiæ, & CAROLO *conceſsit ſponte tridentem.*
Tùm retrò cedens humili ſic voce precatur.

Rex IACOBE *diu valeas & Regia Coniux,*
Votum. *Vivite longævi ſeroſq́; videte nepotes,*
Qui meritò Magnis præſcribant iura Britannis,
Et ſacri Imperij validas moderentur habenas.
Incipe, Magne puer, patrijs virtutibus uti,
Vt tibi ſit CAROLI *præſagum nominis omen:*
Meq́; tuæ expanſis aquilæ tueare ſub alis.
Vive diu, & CHRISTO *felicibus auſpice cæptis*
Fac ſit habenda fides maturo in tempore vati.
Eia invicte Heros, Romani maxime Princeps
Imperij Elector, magno FRIDERICE *Monarchæ*
Fœdere iuncte pio, Regalem amplectere ſponſam,
Et tua ſanctus Hymen connubia ſacra ſecundet.
Nec te prudentis pigeat parere volentem
Conſilio ſoceri; ſic cedent omnia fauſtè.
Regalis ſpeculum pulcherrima Nympha decôris,
Stemmate Iunonem, Vincens Virtute Minervam,
Et Venerem formâ. Tibi cedant omnia fauſtè:
Iam dulcem patriam, iam charos linque penates,
Vnum oculis ſpecta, unum animo complectere ſponſum;
Hunc Dominum agnoſcas, agnoſcet & ille mariti
Officium. Felix ELIZABETHA *Voceris:*
Felix, cùm cernes tua dulcia pignora (ſacri
Romani Imperij firmiſsima robora,) fratris
Cingere Cæſareo ſacros diademate crines.

Hæc cecini Corydon male-firmo carmine forſan,
Fida futura tamen ſinceræ ſymbola mentis:
Cœtera ſponte ſacris ſolennia linquo Poëtis,
Nam mihi deficiunt languenti in corpore Vires.

FINIS.